

sed in loco claustrum sanctimonialium, quod tunc sicut nunc Ad ortum ¹⁾ nuncupatur, quod illic vellet et deberet foveri, conservari et honorari. Revelatum est inquam iterum et tercio, et maritus per uxorem intelligens et ad mentem revocans et Dei voluntati consensuens dedit sanctimonialibus predictis clenodium illud preciosissimum custodiendum et conservandum.

Sequitur modo de miraculis contingentibus.

Sed ut sciat universus populus Christifidelium, quod hujusmodi sacramenti demonstrantia non est, ut heu! in plerisque locis percipitur, quorum incole suasu dyaboli, cui displicet omnis bona conscientia, et placent quevis mala, aut avaricia ducti, qui se fingunt habere quod non habent, non est erronea, ypocritica aut simulatoria reputanda, sed est vera juxta divinam dispensationem, que veris et novis miraculis adventum istarum reliquiarum perornavit. Contingebant enim duo miracula preclara in ipso receptu; unum quod campane nullo tangente clare resonabant; alterum non minus mirum, ymmo rarum et inconsuetum. Erat una de sanctimonialibus, que tunc nonum habebat diem, quod fecit venam aperiri fleubotomo. In ipso mox adventu et in presencia sacri sanguinis vena illa scissa est novum fundens sanguinem, ac si eadem die minucio facta esset. Fiebat enim mirabili modo, quod vena dirupta sanguis vehementi et veloci quodam saltu prosiliit, sursum aerem petens, supra et ultra capitis coronam se protendens, dans per hoc cunctis intelligi, quod quasi exultaret de adventu et presencia sui salvatoris. Quemadmodum sanctus Johannes baptista intra matris sue uterum presente Domino suo exultavit, motum quasi tripudii faciens jocundando. Hoc itaque ordine transmissus est sanguis domini nostri Iesu Christi a rege Neapolitano per manus nobilis in Segenbergk ab oriente in partes occidentales. Deinde predictus

¹⁾ Marie ist übergeschrieben.